



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

8. Concelebrat Notæ Vena Salvbris Aqvæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Eadem verbis iisdem commemorat Astronom. apud Reuberum. Poëta Anonym. ad An. 784.

*Arva petens juxta fluvium confederat Ambram,
Est ubi castellum, quod Skideronburg vocitatur.*

Porro hic Carolum M. fundasse Ecclesiam Cathedralē, quæ tamen post per Brunonem & Tanquardum Saxones in Vallerleve super Ericam, & inde per Henricum primum in Vrose oppidum Northuringiæ, & tandem per Ottonem Magnum An. 967. Magdeburgum sit translata, testatur Chron. Mindense à Meibomio editum. Henricus de Hervordia. Rolevincius in lib. de laudibus antiquæ Saxonix. Hartmannus Scheidelius in Chron. & descriptione Magdeburgi. Pideritius in Chron. Lippiensi part. 2. pag. 206. Quemadmodum igitur Episcopatus hîc institutus, ex alio loco in alium migravit, & prorsus hodie evanuit, ita etiam Schiram novam, veteri Schira proximam, opulentum Blombergensis Monasterij Canoniorum Regularium S. Augustini prædium, Lippienses Comites in rem suam, hoc est, usum profanum converterunt. Piderit. in Chron. Lippiens. pag. 626.

8. CONCELEBRAT NOTÆ VENA SALVBRIS AQVÆ. Fontes Pymontanos describit Henricus de Hervordia in Cod. MS. de tempor. memor. Ætat. 2. cap. 112. In VVestphalia quoque juxta oppidum, inquit, LVDE diæcesis Paderbornensis fons est, qui dicitur SACER FONNS, de quo siquis pronus biberit, in faciem ejus exilit, & quasi expergi videtur. Ibidem est & alius fons, qui dicitur FONNS BVLLIENS. Iste quasi quadratus est de quatuor lateribus equalibus; quolibet latere forte 12. pedum existente, & fundus subter rubens ad pallorem declinans. Nil in ipsum influit nec effluit, sed continue bullit & sonore, sic quod ad jactum balistæ potest audiri. Propter ampullas magnas & viscosas in ipso jugiter elevatas & disruptas,

perpetua est bullitionis. Ita Henricus de Hervordia, qui An. 1370. defunctus, & An. 1377. iussu Caroli IV. Imperatoris Mindæ præsentis exhumatus, & honestiori loco de-
nuò sepultus, Mindæ in templo Patrum Dominicanorum
quiescit. Chron. Mindense à Meibomio editum. pag. 119.
Postea An. 1556. *sacrum hunc fontem* mira vi multis gravi-
bùsque morbis medendi inclaruisse, & magno externorum
concurſu celebratum narrat Ioan. Seilerus in Chron. Pyr-
mont. MS. cap. 3. Quem etiam nunc salubritate nobilem,
viri Principes, ac Dynastæ complures quotannis certatim
frequentant, non exiguo accolarum, & Ludensium præci-
puo emolumento.

**TROPÆA CAROLI M.
FRANCORVM REGIS IN CAMPO
SINTFELD.**

TAM CERERI GRATVS QVAM SPATIOSVS
AGER. Quamvis hic ager longè latèque patens
frumentis hodie abundet, fertiliores tamen segetes illie
olim provenisse credibile est, quando frequentibus pagis
habitus diligentius colebatur; qui plerique omnes unà
cum oppido *Blankenroda* Susatensi bello vastati, Theodo-
rico Coloniensi Archiepiscopo & Administratori Pader-
bornensi suum debent excidium. Tanti Ecclesiæ Pader-
bornensi, cujus Susatum nihil intererat, primum stetit con-
siliium, potentio-rem è vicinia Principem cooptandi; qui
hanc insuper gratiam Paderbornensibus retulit, ut à Marti-
no V.